

ortam, putarim. Religiosi vero interpretis est, omnes partes, quas quaedam notio ambitu suo complectitur, indagare, ex iis, quae generatim supra diximus, facile perspiciendas. Eadem ratione de illis locis statuo, in quibus Deus per vitam suam iurasse dicitur. Ita *Deuteron. XXXII.* legitur, ubi verum sacramentum dici, addita loquendi formula, ab *LXX.* in ὀμῶμαι, iurabo, recte conuersa, comprobatur. Tenuisse enim hunc morem priscas gentes, ut, sublatis manibus, inter se fidem et iusiurandum darent, cum alii, tum *GROTIUS*,³¹ docent. Locus vero *Ezech. XXXIII.* propter momentum rei, iureiurando confirmatae, me imprimis ad se rapit. Hic *BILFINGERVS*³² negat, omnem illius rei emphasin expressam esse, si dicas, hinc intelligi, quam serua sit Dei erga peccatores misericordia. Solet plura in his verbis deprehendere, quando illa distincte meditatur. Sed is demum distincte ea meditari dicendus est, qui reliquarum virtutum, quas vita Dei continet, agitationem coniungit, vnde pulchra quaedam ac decora iurisiurandi huius facies existit. Haec nobis in mentem reuocat, esse Deum ab omni aeternitate omnium rerum intelligentia continenti praeditum, qua inter innumerabilia alia in optima quaeuis penetret, atque hoc omnino praestabilis ducat, ut homines perpetua felicitate florent, quam sempiternis premantur aerumnis. Haec eum sapientissimum monstrat, expeditissimas vias eligentem, ad decreta exsequenda. Nonne vero accommodatius finibus suis, ut piorum quisque, quam improborum sedem et locum consequatur. Sed viuit etiam iustitia, quae, nisi fuerit sibi de peccatorum iniuriis satisfactum, suppliciis nos aeternis viuos mortuosque maectat. Cuius acerbiter viua lenit benignitas, amantissima generis humani, et praesidium salutis vnicum, ab sapientia propositum, nobis comparat, simul vero sanctissima, omnem impietatem horret, ob

C

eamque

31) Ad hunc locum

32) Dilucidat. loc. supra cit